Universitätsbibliothek Paderborn

# Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans

Kinckius, Matthias

Coloniæ, 1662

Quomodo ad infirmos deferenda Eucharistia,

urn:nbn:de:hbz:466:1-46628

Visual Library

nò diſplicet forma (ſi aptior non adſit) cochlear imitans : cum illa commodè ſatis videatur, quæ & una afferri facilè, & inde languens ablutionem dextrè ſatis ſumere queat ; dummodo materia ſit aurum vel argentum , aut ſi aliam materiam, ut cuprum vel aurichalcum, Eccleſiæ paupertas adhibere cogat, omninò ſit inaurata ; Ex nudo autem cupro etiam ſi ſtanno illiniatur non fiat ; cùm hæc materia rubiginem & ſordes illicò contrahat, quæ vel ſanis, nedum infirmis, nauſeam atque adeò vomitum facilè concitet.

## *VT AD INFIRMOS DEFERENDA ſit Euchariſtia.*

Ad ægrotos ubi ſanctiſſima Euchariſtia afferenda erit, attendant Parochi, & quorum intereſt , ut id fiat cum ſumma religione ; populus pro concione moneatur & excitetur, ut frequens eandem & luminaribus accenſis comitetur.

Indulgentiarum quæ in pleriſque locis Euchariſtiam comitantibus conceſſæ ſunt, vis & precium exponatur, aliaque ad populi devotionem in ſacroſanctam Euchariſtiã promovendã proponantur:

id quod in pluribus locis, civitatibus præſertim, opera & induſtria Sodalitatis vel congregationis in honorem Corporis Chriſti ſpecialiter erectæ & inſtitutæ, ſumma pietate ac fructu, egregiè præſtatur, quas congregationes ſeu fraternitates, ubi fieri poterit, & hactenus non fuerunt, vel hominum incuria deſertæ iacẽt, inſtitui & reſtaurari par eſt.

Vbi ſcholæ & pueri idonei ſunt, duo ut minimum ſuperpelliceis induti, cum laternis haſtilibus infixis, in quibus ſint luminaria accenſa, Canticis & Hymnis ſpiritualibus Venerabile Sacramentum præcedant. Hos autem Æditus ſuperpelliceo quoq; indutus, ac tintinnabulũ ſonando in manibus ferens antecedat.

Qui verò comitantur, cereos itidem accenſos, ut ſinguli in manibus ferant, ſunt cohortandi: quod ſi paupertas prohibeat, devotione ſaltem & adoratione competenti, præſentem Chriſtum Dominum honorent.

Sicubi conſuetudo eſt, ut umbella, ad hunc tantum uſum ſpecialiter facta & deputata adhibeatur, illa ut religiſiſſima omninò conſervari debet: ubi verò non eſt, & illam, ut piam, aliquis intro-

troducere velit, prorſus approbandu
eſt factum.

Quando verò extra Oppida & Pag
remotiùs ad infirmos eſt abeundum
unus minimùm miniſter comitetur ſ
pelliceo indutus, laternam cum acce
candela, & titinnabulum præferat,
interpolatis vicibus edito ſono, occu
rentes, vel hinc inde in agris labora
tes, ad adorandã Euchariſtiam invite

Si autem locus, ubi infirmus decu
bit, non ſit remotior ab Eccleſia, in q
Venerabile Sacramentum aſſervatu
quin intra horæ quartam partem,
etiam paulò plus adiri queat, ipſa Eu
chariſtia ſolenni pompa non ſecus ac i
tra oppida ipſa, ad ægrotum uſque de
feratur. Quod ut libentiùs ac religi
ſiùs à populo fiat, ad hoc ipſum pieta
opus, ſedulò ac graviter à Paracho tù
pro concione, tùm in aliis occaſionib
erit incitandus.

Si quando verò ſolùm extremæ u
ctionis Sacramentum (quod ne infirm
negligat, ſed inſtãtius petat, ad Paro
curam ſpectabit) ad ægrotos ſit defer
dum, Sacerdos Stola relatia & ſuperp
liceo, indutus, illã deferat in ſacculo

burſa, & ea dexteritate, ut populus nō adoret, ſed ut rem ſacrā caput aperiendo veneretur tantùm, miniſtro ſuperpelliceo quoq; induto ſubſequēte, ſine lumine & tintinnabulo, vas aquæ benedictæ, vel in ea immerſum ante aſperſorium ſecum adferente.

Sacerdos iturus cum venerabili Euchariſtiæ Sacramento ad infirmum, plures ſemper particulas conſecratas ſecum deferat, ut pari devotione & populi reverentia ad Eccleſiam redire poſſit, nec tamen interim templum, ſeu Euchariſtiæ Tabernaculum corpore Chriſti deſtituat, ſed pro fidelium adoratione ſemper Euchariſtia in templo remaneat. Quod ſi caſu accidat (id tamen ne unquam eveniat, ſtudioſè advertendum eſt) nullam ſupereſſe Hoſtiam, neque particulam aliquam notabilem, extinctis luminaribus, ſuperpelliceo depoſito, ſtola ablata, ſuppreſſoque tintinnabulo, ad propria redeat.

Providebit præterea Parochus, ut in domo infirmi, menſa apta & munda inſtruatur & mappis ornetur, cereis accenſis, ſacris imaginibus, & hiſce ſimilibus alijs pro qualitate domus & infirmi,

mi, quàm fieri poteſt religioſiſſimè. In pauperum verò tuguriis, ubi omnia hæc tam exquiſita haberi nequeunt, dicta menſa ſaltem munda mappa ſit cooperta, duobus cereis accenſis: ſupra mappam autem, Sacerdos ubi ad locum venerit, Corporale, quod ſecum adferet, ponet, ac deinde Ciborium ipſum ſuprà Corporale decenter ac tutò collocabit. Reliqua autem omnia ex more ea, qua fieri poteſt ac decet, pietate peragat quàm accuratiſſimè.